



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

44. An liceat sagam, seu maleficam occidere, si tollere maleficum nolit, quando alia via non suppetit? Et an saltem vi, verberibus, & tormentis cogi possit, ut maleficium tollat? Ex part. 8. tract. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76432)

ver. Homicidium, n. 10. Layman lib. 3. sect. 5. tr. 3. c. 2. n. 3. Homobonus in respons. cas. confert. t. 1. part. 2. resp. 118. Reginald. t. 2. lib. 2. c. 2. n. 18. Azor. t. 3. lib. 2. c. 2. q. 3. & alij, quia cum sit extra iurisdictionem praescribentis, non extenditur ad illum eius potestas, nisi ad esset licentia expressa, vel tacita, vel rationabiliter praesumpta alterius Principis, in cuius iurisdictione moratur bannitus. Et nisi reus esse bannitus à Summo Pontifice, cui cum habeat iurisdictionem illimitatam, & per uniuersum Orbem, potest mandare occisionem hominis à se proscripti in alieno territorio.

20 Non desinam tamen hic adnotare, aliquos DD. asserere licitum esse occidere bannitum extra praescribentis territorium, & ita absolute docet Laetantius Finellius de cas. reser. cas. 4. n. 41. & Graffius part. 1. lib. 2. c. 62. n. 57. Megalius verò var. resol. tom. 1. resol. 60. n. 5. aliquos etiam enumerat casus, in quibus extra territorium bannitos licet occidere.

3. Sed an liceat proponere praemium occidenti bannitum? Sotus de iust. lib. 5. q. 1. art. 3. & Bonacina de contr. disp. 2. q. ult. sect. 1. punct. 2. n. 3. non admodum probant hunc morem, sed quicquid ipsi dubitant, alij omnes approbant: vide Filliucium, Homobonum, Azorium ubi supra n. 25. Megalium resol. 59. per totam. & alios; non est tamen facile haec facultas concedenda.

4. Et tandem pro coronide huius resolutionis illud cum Mosina de iust. t. 4. tr. 3. disp. 7. n. 1. admonuerim in l. 1. c. quando liceat unicuique sine iudice, & c. videri concedi interficere grassatorem, qui vias publicas tenet, quoniam id in defensionem suam & aliorum, quibus ille mortem & alia damna parat, licere cuique videtur, & in iustam vindictam videtur ibi publica auctoritate concedi.

RESOL. XLIV.

An liceat sagam, seu maleficam occidere, si tollere maleficium noluit, quando alia via non superstit? Et an saltem vis, verborum, & tormentis cogi possit, ut maleficium tollat? Ex p. 8. tr. 6. & Misc. Ref. 53.

§. 1. **R**espondeo negatiue cum Dicastillo de iust. & iure lib. 2. tr. 1. disp. 10. dub. 9. n. 114. Quia cum occisio permilla sit ad auerendum malum, quod ab altero iniuste inferitur, aliterque auerti non potest, tunc tantum licebit occidere, quando per occisionem auertitur. Sed per occisionem saga, vel malefica non auertitur malum, quod illa conseruat, non tollendo, aut destruendo prius maleficium; pari enim ratione non tollitur ab illa post mortem: ergo mors non est medium ad illud maleficium tollendum; tantum ergo licebit tunc verberibus illam, & metu mortis afficere, ut tollat maleficium; quo semel sublato, cessat causa illam occidendi priuata auctoritate.

2. Notandum est tamen, quod Dicastillus loc. cit. asserit, P. Les. docere opinionem affirmatiuam, sed Lessius, ut legentibus pater, non ait sagam in tali casu interfici posse, sed posse cogi verberibus, ut maleficium tollat, quae doctrina est communis, & Lessio citato, tenet nouissimè Cardinalis de Lugo de iust. tom. 1. disp. 10. sect. 7. n. 162. ubi sic ait: Inferitur secundò si malefica, positis certis signis magicis, per daemones noceat, nec aliud remedium sit, posse iure defensionis vi cogi verberibus, aut tormentis, ut ab iniuria cesset, si putatur posse maleficium soluere sine nouo maleficio. Et quidem cogi posse maleficium, & debere à iudice, docet Thom. Sanchez lib. 2. in Decal. c. 4. n. 24. & Suar. to. 1. de relig. lib. 2. de supersti. c. 18. n. 7. & 8. Ex quo sequitur, posse etiam cogi vi, & tormentis ab ipso laeso, quando non peteret recursus ad aliud remedium, & maleficium

assidue persequeretur in damno inferendo, ut docet Lessius dicta dub. 8. n. 48. Huicque Lugomale iugiter P. Dicastillus Lessium pro contraria sententia citant.

RESOL. XLV.

An iniuste desertus carcere, & iam mane damnatus ad mortem, si alia via non potest euadere, possit periclitari carceris custodem occidere? Et an possint occidi satellites, seu publici Ministri, cum moderamine inculpate tutelae, si iniuste conentur innocentem capere, ut iniuste occidatur? Et an non solum sit licitum praenire, seu occidere eum, qui parat, ut per se ipsum, seu per sicarium occidat? Et an sit licitum occidere eum, qui per iudicem parat mortem iniustam, media accusatione, aut testimonio falso, quamuis alieno? Et vtrum liceat praenire occidendo illum qui falsis testibus iam subornatis ita me oppugnat in iudicio, ut necesse sit occidi, aut infamari, aut bonam amittere? Ex p. 8. tract. 7. & Misc. Ref. 43.

§. 1. **S**i carceris custos bona fide munus suum obeat, videtur non posse occidi, bonum enim commune postulat, ut non inferatur damnum multis bonae fide publicum officium exercentibus; ita Doctores, quos adducit & sequitur Dicastillus de iust. lib. 2. tr. 1. disp. 10. dub. 2. n. 11. & Trullench in Decal. t. 2. lib. 5. c. 4. dub. 4. n. 1. & alij penes ipsum. Sed ego suppono in casu nostro, de quo indiuidualiter his diebus interrogatus fui, carceris custodem scire euidenter in carcere illum iniuste à Principe detineri, & ad mortem damnari; & in hoc casu puto esse in carceribus detentum non habentem aliam viam euadendi mortem, quam certò sit iniuste à Principe inferendum, posse inquam, carcerarium occidere, quia cum non bona fide munus suum obeat, sed certè sciat carceratum esse innocentem, & iniuste detineri, & ad mortem damnari; ergo, & c.

2. Et ita Dicastillus ubi supra, & alij aliterum posse occidere satellites, seu publicos ministros cum moderamine inculpate tutelae, si iniuste conentur innocentem capere ut iniuste occidatur, Et Cardinalis de Lugo de iust. tom. 1. disp. 10. sect. 7. n. 164. cum aliis docet, quòd si satellites scirent innocentiam rei, & vellent adhuc sententiam iudicis & capitale poenam exequi, posset capere illis resistere, etiam eos occidendo; sed in nostro casu carcerarius iniuste detinet innocentem, ut iniuste morti tradatur. Ergo, & ita in terminis hanc sententiam docet ex Couarruu. Boerio, Neuzano, & Grammatico, Menoch. de arbitr. iudicium, cas. 301. n. 16. Macardus de probat. vol. 1. consil. 266. n. 27. Hunnius de Collegia crimin. disp. 8. n. 39. Ioan. Harprechtus in comment. ad Instituta Iustiniani, tom. 4. tit. de publico iudicio §. item lex Covnel. n. 230. fol. 1019. & Christianus Kremberg tr. de necessaria defensione, qu. 5. ubi multis rationibus & auctoritatibus ostendunt, quòd ei qui sine iusta causa in carcerem est coniectus, & praesentissimum vitae periculum euadere nequit, custodes licite occidere possit, quicquid in contrarium videatur asserere Obrechtus de defens. necessar. c. 6. n. 39.

3. Sed haec omnia dicta esse volo, speculatiue loquendo, ne in carcere detenti sibi fingant iniuste ad mortem damnari, & ideo iudices in causa propria homicidia in custodes perpetrare, ideo vi cogita.

4. Notandum est hic obiter, nouissimè Galpatum Hurtado de iust. & iure, disp. 11. diff. 7. docere non solum posse esse licitum praenire, seu occidere eum, qui parat ut per se ipsum occidat, sed etiam eum qui parat ut per alterum, ut per sicarium, occidat, quia moraliter id est conari ad occidendum per se, aut per alterum. Imò, ut Bannez q. 64. art. 7. & Novus id per se, aut per alterum, imò, ut Bannez q. 64. art. 7. & Novus alij contra non paucos aduertunt, etiam esse licitum occidere eum, qui per iudicem parat mortem iniustam media accusatione,